Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



bat in Samariam regionem, cujus Sebaste caput erat, / Sebasten tamen a Discipulis translatum esse corpus, atque in suburbio ejus sepultum; tradit Hieronymus ep. 27.

/ sed Archelao pulso Romanis et Pilato parebat.

76) Idem Hieronymus in Rufinum: Nec magnopere glorieris, si facias quod faciunt scorpiones atque cantharides. Fecerunt hoc et Fulvia in Ciceronem, et Herodias in Joannem: quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminali acu confoderunt.

77) Nicephorus hist. l. 1, c. 9: At ipsa Joannis reprehensionem verita conjungere id rursus reliquo corpori timens, apud se remotis arbitris in abstrusiore regiae loco sepeliendum duxit: truncum autem abjicere quopiam jussit: eum porro discipuli ejus furtim sublatum eum solenni veneratione in celebri quodam sepeliere loco. scilicet in suburbio Sebasteno. Vid. Papebrochius Act. SS. ad 24 Jun.

78) Nullum enim saeculum, nulla de Joannis gloria aetas aut conticuit, aut unquam conticescet. Nec ergo nostra taceat aetas, nec nostra sileat lingua; sed pro tenui parte tanti herois encomia celebret. Haec Barradius t. I, l. 8, c. 3. Laudatores habuit I, Deum ipsum apud Malach. III, 1; et Matt. XI, ac Luc. VII. II, Gabrielem Archangelum Luc. I. III, Zachariam parentem in suo cantico: Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum, per viscera misericordiae Dei nostri; in quibus visitavit nos oriens ex alto illuminare his, qui in tenebris et umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luc. I, 76 et seqq. IV, Evangelistas omnes. V, SS. Patres per omnia secula. Audiamus aliquos.

Irenaeus l. 3, c. 18: Joannes cognovit Dominum in utero, et salutavit exsultans.